

F. A. Kirche in Illyrien obmoklizan

B. 191.



Q. F. F. Q. S.

DE

30.

LÜBECENSIBUS, EXTRA LUBECAM,  
DOCTORUM THEOLOGIÆ  
DIGNITATE CONSPICUIS,  
EPISTOLA,

QUA

VIRO MAXIME REVERENDO, PRÆCLARISSIMO  
ET DOCTISSIMO,

HENRICO JACOBO  
SIVERS,

LUBESENSI,

SACRÆ REGIÆ MAJESTATI SVECIÆ A SA-  
CRIS, ECCLESIARUM IN TIUSTIA BOREALI PRÆPOSI-  
TO ET PASTORI IN TRYSERUM, HANNAES ET  
FOGELWIK PERIN SIGNITER MERITO,

DOCTORIS THEOLOGIÆ

A X I O M A ,

AB ACADEMIA GRYPHICA d. XIX OCTOBRIS A. MDCCCLVI  
IMPETRATUM, GRATULATUR

JOH. HENR. A SEELEN,

SS. THEOL. LIC. ET GYMN. LUBEC. RECTOR.

LINCOPIÆ,

TYPIS GABRIELIS BIÖRKKEGREN.




ΣΤΡΧΑΡΜΑ ΑΥΤΟΣΧΕΔΙΑΣΘΕΝ.

**E**st tuus A SEELEN, fateor, LUBECA, coruscus  
Phosphorus antiquæ solque jubarque Scholæ.  
Magnum etenim vastæ doctrinæ, vindice pennâ,  
Nomen, Teutonicus quâ patet orbis, habet.  
Ulteriusque ad nos, gelidas trans Balthidos undas,  
Transiit illustris fama decora VIRI.  
Tot dedit A SEELEN tot & est monumenta daturus  
Ingenii mirâ fertilitate styli,  
Dum supereft, ut eum vixdum superaverit alter,  
Quod mea visuros Bibliotheca docet.  
Laudo VIRUM gnavum; multum est laudandus & inde,  
Quum procul invidiâ laudet abunde alios.  
Ceu facit heic, cum Theologos solitâ arte recenset,  
Quos LUBECA dedit, Indigenasque suos.  
Inter eos quia TE, mihi Dilectissime SIWERS,  
Magnificâ mactum non nisi laude, refert.  
Et laudanti & laudato præconia macrô hoc  
Carmine decrepitus debita præsto lubens.

Lincopiae in Musæo  
Ipsis Nonis Martiis  
Anni CICCI. LVII.

AND. OL. RHYZELIUS,  
S. S. Th. Doct. & Episc. Lincop.





Ummis in sanctiori disciplina honoribus Tibi,  
VIR MAXIME REVERENDE, in celeberrima  
Academia Gryphiswaldensi, ob inchoatum sæ-  
culum quartum jubilante, honorifice insigni-  
to, lubens acclamo antiqvum illud: QUOD  
FELIX FAUSTUMQUE SIT! Nihil sane non, quod prospe-  
ritatem parit, incolumentem conciliat, cum iisdem candide  
cupio conjunctum, eo majori Tuo decore affectus lætitia,  
quo præstantiorem Te olim habui auditorem, ingenio, quod  
Numen dedit benignissimum, felicissimo tam recte, tamque  
eximie usum, utejus, laudanda stipati industria, ope emerse-  
ris, arduaque egregie administrare potueris munia, Scriptis  
quoque, eruditionis testibus, nomen Tibi in orbe erudito  
comparare. Hujus rei fructum capit in primis Svecia, cui Te  
concessit patria, cuius utriusque laudem una cum propria, ex  
voto amplificas. Unde fecisti solo natali gaudium nuntio, quo  
istud dignitatem Tibi collatam percepit. Auges itaque nume-  
rum eorum, quos Lubeca quidem produxit, in exteris autem  
oris DOCTORUM THEOLOGIÆ axiomate experta est insi-  
gnes. Non caruit quidem Lubeca viris, quos hic titulus con-  
decoravit; sed omnes huc usque extra eam nati, in hanc urbem  
aliunde fuerunt allecti. Primus, quem habuit Theologiæ Lu-  
theranæ Doctorem, fuit OTTO GUALTPERIUS, Rotenbur-  
go-Hassus, e Professore Græcæ & Hebræ Lingvæ in Academia

) ( 2

Mar-

Marpurgensi factus Rector Gymnasi Lubecensis, quem inter antecessores meos jure mihi gratulor. Contigerunt postea Lubecæ Præfules, NICOLAUS HUNNIUS, MENO HANNENKNIUS, SAMUEL POMARIUS, AUGUSTUS PFEIFFERUS, GEORGIUS HENRICUS GOETZIUS, quos inter nullius est, qui Lubecam agnoscat patriam; omnes autem DOCTORUM THEOLOGIÆ honoribus effulserunt. Videt Lubeca hodieque duos THEOLOGIÆ DOCTORES, JOHANNEM GOTTLÖB CARPZOVIUM, Superintendentem, ac JOHANNEM HERMANNUM BECKERUM, Pastorem Marianum, quorum ille Dresdæ, hic Rostochii lucem primam aspexit. Omnes hi vixerunt hodieque vivunt intra mœnia Lubecensia. Extra eadem plures conspecti sunt Theologiæ Doctores, quos Lubeca quidem ratione nativitatis adepta est filios; aliis autem locis, valde ipsi idcirco obstrictis, munera sacrorum gerendorum causa concessit. Venerandam horum societatem cum Tu, VIR PRÆCLARISSIME, nuper amplificares, in memoriam illos revocare incipiebam, deque iisdem breuiter recensendis capiebam consilium, non eo fine, ut claros Tibi cives notos redderem (horum enim Te esse ignarum, nunquam mihi persuadere potui); sed ut uno intueri posses conspectu Lubecenses, extra Lubecam Doctorum Theologie dignitate conspicuos, quorum coronam Tu solus hodie repræsentas. Horum tantum non omnium vitas, merita & scripta cum in Athenis Lubecensibus commemoraverim, non opus erit, de illis denuo copiose agere, perpaucis eos, & munera, quibus laudabiliter functi sunt, honoris causa nominasse, sufficiet. Indicem itaque modo, non pliores commentarios, polliceor, et si non negem suppleri posse ea, quæ in Athenis Lubecensibus scripsi; quem vero laborem cum hac vice exantlare nequeam, alii is occasio, si DEUS illam dederit, erit reservandus. Serie, quam alphabetum suppeditat, uti placebit.

BARTOLDUS BOTSCACCUS,  
Ecclesiastes primum Giessensis, deinde Superintendens Bruns-

vi



vicensis, porro apud Hafnienses Eccles. Teuton. Pastor, Theologiæ Professor publicus & Concilii sanctioris, quod Consistorium appellatur, membrum.

*HENRICUS DÜRKOP,*

Præco sacer initio in patria Jacobæus, deinceps in metropoli Danica, quæ Hafnia est, cœtus sanctioris Teutonici Pastor, nec non Catecheseos Professor, Regia auctoritate constitutus.

*JOHANNES FISCHER,*

Antistes primum Sulzbacensis, deinde Generalis per Livoniæ Superintendens, supremi Consistorii Præses, & Academiæ Dorpatensis Pro-Cancellarius.

*ADOLPHUS WILHELMUS von GOHREN,*

Consistorii Saxo-Isenacensis primum Assessor, deinde Superintendens Glauchensis, tandem Pastor Hamburgensis Michaëlitanus.

*BARTOLDUS KEMPE,*

Superintendens in Ducatu Mecklenburgico Parchimensis.

*JOHANNES LAURENTIUS MOSHEMIUS,*

Ex Assessore ordinis Philosophici in Academia Kilonensi factus in Academia Helmstadiensi Theologiæ Professor publicus, Abbas Mariæthalensis & Michaëlsteinensis, & tandem Academiæ Goettingensis Cancellarius, generatim jam descriptus elegantissimo Programmate funebri GESNERIANO, singulari describendus libro WINDHEMIANO, quem avide exspectamus.

*HENRICUS MÜLLERUS,*

Professor Theologiæ, Pastor & Superintendens Rostochiensis.

*SEBASTIANUS NIEMANNUS,*

Post administratum in Academia Jenensi Theologiæ Professoris publici munus, Generalis in Ducatu Slesvicensi Superintendens, qui extra patriam licet vivens, patriæ tamen illustre concessit decus, filium nempe, CHRISTIANUM ALBERTUM NIEMANNUM, Consulem Lubecensem magnificum.

PE-

PETERUS RHEBINDER,

Immortalis famæ Præsulis Lubecensis, NICOLAI HUNNII,  
gener, Superintendentis Luneburgensis munere per triginta &  
unum annos functus.

ANDREAS RITTER,

Ecclesiæ in Rugia Bergensis Pastor primarius & Synodi ad-  
jacentis Præpositus, magni itidem Theologi, Argentoratensis  
primum, postea Wittenbergensis, BALTHASARIS BEBELII  
gener. Confer omnino **Pommer- und Rügensche Beyträge**  
**zum Dienste der Wissenschaften Vol. I. P. IV. p. 669 sqq.** qui  
liber etiam ejus Effigie exornatus.

JUSTUS CHRISTOPHORUS SCHOMERUS,

Sanctorum litterarum in Academia Rostochiensi Professor  
publicus, Superintendentens Mecklenburgicus, & in judicio ec-  
clesiastico, Consistorii nomine insignito, Consiliarius, cui,  
licet is ad Dorpatensem Academiam cum Pro-Cancellarii digni-  
tate vocaretur, Wittenberga ipsum quoque appeteret, placuit  
tamen Rostochium adeo, ut hoc magnum decus suum Varnia-  
ca Musarum sedes ad finem usque vitæ ejus retinuerit.

MICHAEL SIRICIUS,

In memorata Academia Rostochiensi Theologiæ & Historiæ  
sanctoris Professor, in Aula Gustroviensi Concionator, Con-  
siliarius Consistorialis, Ecclesiarumque Mecklenburgensium,  
sigillatim sic dictarum, Superintendentens.

ADAMUS TRIBBECHOVIUS,

De hoc licebit repetere verba mea ex *Athen. Lubec.* P. II. p. 367.  
Anno 1664 vocabatur Kilonium, ubi præfiebatur tradendæ Morum di-  
sciplinae, cum qua, mortuo WATSONIO, spartam docendarum Historia-  
rum conjungebat. Hic autem fide, industria, eruditione tantam sibi  
comparabat famam, ut dignus judicaretur muneribus multo splendidio-  
ribus. Commendatus enim Principi Saxonie ERNESTO, pio valde pie-  
rum Theologorum fautori, anno 1672 Consiliarius Ecclesiasticus Gotbæ  
elgebatur; creabatur etiam, creatus antea Kilonii summo cum applau-  
su

su Theologie Doctor, & ægerrime quidem, honestissime tamen a Serenissimo Principe, CHRISTIANO ALBERTO, qui ipse de Nostri fide ac sedulitate Musis Kiloniensibus praesita, testatus est, dimissus. Novos post quadriennium Gothe nanciscetur honores, ad summam supremi Praestit, sive Generalis Superintendentis dignitatem ascendens. Hæc propria me scripsisse veritate, certus sum.

### WILHELMUS VERPOORTEN,

Gravissimis functus est muneribus; siquidem succedente tempore fuit Serenissimi Principis, FRIDERICI, Hassia Landgravii, Confessionarius & Concionator; Consiliarius Ecclesiasticus Gothanus & sanctorum coetum Inspector; Coburgensis Professor, Consiliarius Ecclesiasticus & primus Sacrorum Praefectus, quem Superintendentem Generalem appellant.

Vides, FAUTOR HONORATISSIME, cives Tuos, Lubeçæ filios optimos, qui omnes DOCTORUM THEOLOGIÆ insignibus coruscarunt. Horum memoriam brevissime recolendam duxi, & gaudii quidem declarandi causa, quo Te viris, ad hunc gradum evectis, qui Lubecæ nati sunt, possum accensere. Eo minus autem hoc miratus sum, quo majores novi ingenii Tui, ad disciplinas capiendas aptissimi vires, & hoc ab eo quidem jam tempore, quo inter juvenes, fidei meæ commissos versabar, ingenioque florentissimo alacri succurrebas industria. Facile hinc ortæ sunt laudes, quibus ab eruditissimis viris dudum Te insignitum percepi. Orta sunt numero haud exiguo ingenii monumenta & sacra & litteraria, poëtica pariter atque prosaica, quibus orbi eruditio innotuisti. Orta sunt, quæ principe commemoranda loco, merita, laudatissimo studio acquisita. Atque ob hæc jubilans Academia Gryphiswaldensis summis honoribus Theologicis, quos in ea etiam laudati cives Tui DÜRKOPIUS & RITTERUS sunt consecuti, dignum Te judicavit. Fruere illis ad extremam usque senectutem, & quemadmodum huc usque bene vixisti in Svecia, sic porro ad multos, e veteri formula annos optime in eadem vive! Quod patriæ interim non sis oblitus, demonstrant elegancia

tia scripta Tua, notatu digna, quæ ad Historiam Lubecensem pertinent, complexa \*): demonstrat & opera, *Nova Biblioteca Lubecensi*, & Commentationes eximias inferendo, & Nova Litteraria Svecica suppeditando, navata. Hæc vero Tui etiam non est oblita, jucunde potius recordatur, hoc in primis tempore, quo Theologicis honoribus fuiti auctus. Eveniant Tibi hi honores fauste ac feliciter, ut Te & res Tuas diu ornent, Tuaque prosperitate multi & in Svecia & extra eandem, in patria præsertim omnes, quibuscum & langvine & amicitia conjunctus es, ex animi exhilarentur sententia! Vale!

Scribebam catenatos inter labores Lubeca, d. 6 Novembr. 1756.

\* ) Digitum intendo ad librum, hoc titulo editum: *Ett märkwardigt Stycke af Konung GUSTAFS then förstes Historia, som inneholler en Historisk Beskrifning om Theß fångenskap i Danmark; flygt utur thet samma til Lübeck; wistande och hendelser på thenna orten, med Theß resa therifrån til Sverige. Hvarvti många hårtills obekanta, mörka, och illa berättade Saker skärskådas och fram i liuset sättjas.* Åfvenledes vti thet sidsta Capitlet handlas om then namnlundiga och i then Gustavianiska Historien bekanta Borgmästarren i Lübeck Herr NICOLALIS BROMSE. Efter många handskrefna, samt tryckta, gamla och nya handlingar utarbetat, och med en accurat Ufriftning utaf hans högstaliga Maj:ts Konung GUST AVI then förstes kläder, hwilka han på flygten til Lübeck hade på sig, och nu förtiden, ale sedan 1520 hänga på Rådhuset i Lübeck. Stockholm 1754. 4. Ad scriptum etiam: *Historisk Beskrifning omthen gruswelliga Pesten, Diger:döden, eller then stora och svarta döden, hwilken vti thet 14de Seculo grasserade öfwer hela werlden och år 1350 härjade här i Swea-Rike*, Stockholm 1751. 4. impressum, ob res Lubecenses, quæ ibi §. XV. p. II - 15. leguntur.







No 113.  
S 8°

ULB Halle  
008 867 283




3



M. L.





Q. F. F. Q. S.  
DE

30.

Ammonitas : Exercitatio de Aspide obturante  
de Rachele clanculum surripiente Teraphim  
iſſertatio : Exercitatio Biblica de Samſone :  
Psychologia Salomonis : Vafatio Babylonis  
nis, ſecretorum delatoribus : De Fontibus  
io, etc. Elaboraffe WOERGERVM quo-  
cudendum transmiſſiffe Pentateuchum Moſis  
OM, CRENIL, qui iſpum magni fecit, Epi-  
ſcripta (vid. Athen. Lubec. P. II. p. 416)  
non cognovi. Quare etiam ad Woergeria-  
ne notitiam praefuppouentia, eundem retuli

LUBECENSIBUS, EXTRA LUBECAM,  
DOCTORUM THEOLOGIÆ  
DIGNITATE CONSPICUIS,  
EPISTOLA,  
QUA  
VIRO MAXIME REVERENDO, PRÆCLARISSIMO  
ET DOCTISSIMO,  
**HENRICO JACOBO  
SIVERS,**  
LUBECensi,  
SACRÆ REGIÆ MAJESTATI SVECIÆ A SA-  
CRIS, ECCLESIARUM IN TIUSTIA BOREALI PRÆPOSI-  
TO ET PASTORI IN TRYSERUM, HANNAES ET  
FOGELWIK PERINSIGNITER MERITO,  
DOCTORIS THEOLOGIÆ

A X I O M A ,

AB ACADEMIA GRYPHICA d. XIX OCTOBris A. MDCCCLVI  
IMPETRATUM, GRATULATUR

JOH. HENR. A SEELEN,  
SS. THEOL. LIC. ET GYMN. LUBEC. RECTOR.

LINCOPIÆ,  
TYPIS GABRIELIS BIÖRCKEGREN.

